

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

[Dissertatio Medico-Chirurgica, De Setaceo Nuchae, Auricularum,
Ipsiusque Oculi.]

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

que refragari efficaci, que vocatur, medicina, pluresque longis e morbo doloribus male confici, quam semel ex operatione chirurgica fortiter dolere & dehinc feliciter brevique liberari, atque restitui.

Sed ne præstituta brevitatis limites statim in limine transiliamus, ad rem!
Faxit DEUS feliciter!

§. I.

Setaceum à seta, setivæ dicitur porcinis, quas olim per cutem, acuto instrumento perforatam, trajecerunt, pro fluxu purulento excitando & per aliquod tempus conservando.

Unde setaceum sumitur l. pro ipso tali traducto corpore peregrino, sive setis, s. filis xylinis, sive ex alia constante materia; l. pro ipsa hac operatione chirurgica, in toto complexu suo; l. pro ipso, quod hinc efficitur, ulcere, duobus instructo orificiis. *Germanis* audit *ein Haar-seyl, eine Schnur, ein Haar-seyl ziehen*: *Gallis* *un seton*.

Differt à fonticulo, quod hic uno saltem, rotundo orificio hiet, & in profundum magis, quam latum, extendatur, conservata ejusdem cavitate per inhærens jugiter corpusculum sphericum.

§. II.

Locus, cui setaceum applicari solet, ordinarius est in *nucha*; per *suras* trajectum sustulisse ischiadem meminit Riverius [c]. *Scrotum* in curatione hydroceles radicali vid. Heisteri chirurg. &c. [d] *intestinum rectum* in fistula ani, juxta Hippocr. [e]: passim vero alia quæcumque cutaneæ & musculosæ partes vulnere aut ulcere profundiore, sinuoso, impuro, fistulaque obsessæ. In mulo-medicina variis oculorum equi affectibus opponunt maxime setaceum e frusto corii oblongo, l. radice hellebori albi &c. trajectis, probe *angulum maxillæ* inferioris, & locum subtus jacentis glandulæ parotidis: nobis ad affectus oculorum humanorum celebratur setaceum in *lobis auricularum*: & denique per ipsum *oculi bulbum* transversim ductum. Agemus jam speciatim de setaceo *nuchæ*, *auricularum* & ipsius *oculi*.

§. III.

Instrumenta & *media*, quibus perfici hæc operatio setacei in *nucha* primi-

[c] Riverius. Cent. 2. obs. 100.

[d] L. Heister. chirurg. Latin. cap. de hydrocele §. 3. p. 848.

[e] Hippocr. Libro de fistulis.



mitus, hodieque solita est, sunt: *forceps* quædam fenestrata, i. e. in extremis brachiis utrinque transversim perforata, in extremitate vero superiore per claviculam aut cochleam stringenda, ad elevanda integumenta eaque ipsa sic comprimenda, ut non modo stabilietur satis inter operandum pars perforanda, sed & reddatur minus sensilis in punctione. *Subula* quædam, *acus* quædam prægrandis l. teres, in acutam, aut rhomboideam desinens cuspidem, l. incurva, utraque pollicis fere diametro, anceps, & instar lanceolæ acuminata, in extremitate posteriori perforata, pro insertione traducendi funiculi, setarumve: *funiculus* e fetis equinis, l. lineis, l. xylinis, l. sericis calami olorini circiter crassitie, aliquot spithamas longus; isque l. firmiter per restiarium aliumve artificem contortus, l. saltem e distinctis 40. filis xylinis subtilissimis, ad invicem positus, laxè coagmentatus, quæ methodus est *Woolhousii*, singulari gaudens prærogativa, quæ habetur infra §. 8. & 10. *Splenia* aliquot e linteo molli, figuræ quadratæ, l. parallelepipedæ; *linteum* simplex, oblitum unguenti rosacei & balsami Arcæi partibus anaticis: *spongia* mollis, detrita. *Infusum* calidum fl. samb. Acerram carbonibus ignitis rutilantem non requirimus, quoniam acum non, ut olim solebant, ignitam, sed frigidam censemus adhibendam, saltem à potiori.

§. I V.

Æger preparatur ad operationem, una alteraque septimana, per V. Snem, purgationes repetitas, diætam tenuem, & eupeptam. Inferior occipitis capillata cutis novacula tondetur, exquisite, & contra pilorum directionem. (à contrepoil vocant Galli; nos: *wider die Haare*): tonsura hæc per totum setacei suppurantis decursum singulo minimum sextiduo est repetenda.

Acus incurvæ foramini oblongo alligatur, l. inseritur, *funiculus* xylinus, æger in sella collocatur, caput ejus retrorsum reclinatur, ut integumenta nuchæ minus tensa sint. Loco ad perforationem probe notato, qui est ipsa *scrobs illa naturalis* ad radicem occipitis in cervice circa secundam tertiamve colli vertebram, *cutem* minister aliquis in regione cervicis superiore ac inferiore, relicto duorum pollicum interstitio, gnaviter digitis attrahit, elevatque, atque arctius comprimit, elevata verò perpendiculariter in hec interstitio tegumenta comprehendit forcipe illa fenestrata: (§. 3). Hujus extrema inferiora, tam arctè, quam licet, adducit mediante vel fibula, l. cochlea, superiora forcipis brachia coarctante & obfirmante, ut sic applicita semel forceps adhæreat tenaciter. Nec opus, nec consultum esse hic, quod præcipit *Woolhousius*, censemus, ut scilicet hæc ipsa integumentorum manipulatio & constrictio per forcipem aliquoties repetatur, pro concilianda his partibus anæsthesia, utpote cum durior & repetita hæc constrictio atque contusio non sine ipso etiam exquisito dolore perfici queant.

I i 2

Per



Per affixæ sic forcipis foramina, fenestrasve atque omnia cervicis integumenta, quin & musculorum colli superficiem, transversim adigitur *acus incurva*, *funiculum* xylinum *ducens*, & una cum suo funiculo transmittitur, sic ut, duorum pollicum intersit utrique vulneris orificio intervalum, ac semota tunc acu atque forcipe brevior funiculi extremitas ex altero foramine integumentorum spithamæ longitudine propendeat, ex altero autem dependens *funiculi extremitas longior*, *intra linteum convoluta* detineatur semota à vulnere, sanguinem fundente, ut scil. pura maneat & immaculata [f].

§. V.

Sanguis e duplici hoc vulnere per horæ quadrantem *fluere sinitur* [g], ejusque *grumuli abstergantur*, *funiculus* aliquoties *placide* hinc inde per vulnus *trahitur*, ut omnes excutiantur grumuli. Ultimo & parcius, & ferrosior emanare solet sanguis, tandem desinere. *Funiculi brevius extremum* collo incumbens relinquitur explicitum, s. complanatum, alterum *longius*, in glomerem, sed facile extricabilem, convolutum, linteoque cinctum, post auriculam collocatur, & fascia quadam frontali l. folis fasciis comprehensum affigitur acubus capitatis ad mitram. *Imponitur* tunc utrique vulnere latum atque *simplex splenium* bals. Arcæi & uncto rosato inunctum, huic autem superpositum unum alterumque *splenium multiplex* e linteo, sicum obfirmatur *fascia*, toti collo, ac cervici circumducta ac modice adstricta. *Æger* tum lectum petit, eique mox insidet, mox incumbit non valde acclivis sed *reclinato tantisper capite*, ad relaxandas partes in cervice tensas, lateribus etiam magis, quam dorso incumbere debet, quoniam pars nuclæ affecta, non attritum modo & pressionem, sed & simplicem contactum ægerrime fert, ab initio certe.

§. VI.

Dieta si quæ, nunc maxime, requiritur, strictissima, ab omni potu vinoso, spirituoso, & fermentato quocumque abstemia; solidiora multumque nutrientia, aut calefacientia exulent alimenta. Solis in principio vitandum est jusculis, cremoribus, ovis forbilibus: pro potu inserviat dilutum theæ orientalis infusum, atque decoctum leve e rad. scorzon, gramin. sarsap. fl. tilix. passul. min. sem. fenic. ceras. nigr. exsic. &c. quin imo

[f] Sunt, qui setaceum perpendiculare in nuclæ, s. ad lineam & longitudinem nuclæ præferunt transversum, partim quod sic pus declivore effluxu facilius emanet, quod alias sub integumentis cuniculos agere posset ac fistulam cudere, partim, quod majoris reputetur efficacix. Sed cum hanc nec ratio, nec experientia confirmet, priori autem incommodo aliis obviam ire liceat modis, & in perpendiculari setaceo infligendo cutis transversim difficilime possit elevari, itaque transversim infligendo setaceo præstat acquiescere.

[g] Ut stasis atque tensio inflammatoria nimia præveniantur.



imo si graviora metuantur symptomata e dolore ac statu phlegmonode partis vulneratæ, debent etiam *interna*, temperantia, absorbentia, antispasmodica in partes curæ trahi; sed circa hæc non erimus prolixi, multoque minus attingemus illam methodum, quæ insuper debetur affectibus, e. gr. oculorum, propter quos setaceum est positum. Quietem, tranquillitatem & quasi immobilitatem corporis necessarias esse in setaceo nuchæ, ipsa res loquitur, & contrarium dolorifice fati evincit.

§. VII.

Primus hic, vulneribus impositus *apparatus chirurgicus* ante triduum haud *solvitur*, nisi aliud jubeat l. summe dolorifica tensio, l. profunda inflammatio l. jamjam inducta suppuratio. In duobus prioribus casibus, detractis omnibus impositis spleniis, fasciæque, funiculi longius extremum perungendum est duorum pollicum longitudine balsamo Arcæi ac ungu. rosato, refracte camphorato, & dehinc brevior funiculi extremitas e vulnere foras est protrahenda, eod usque, donec vulnus utrumque, recens peruncto funiculi tractu sit repletum. Imponenda sunt splenia, Spir. Vin. camphor. & crocato imbuta, his supra dandi sacculi fici e speciebus discutientibus, resolventibus & pargoricis. Quandocumque vero & quotiescumque denuo deligatur setaceum hoc nuchæ, *caput ægri* debet aliquantum *reclinari*, ad tensionem cervicis relaxandam, cervix collumque *purgari* a fordibus mediante primum oleo rosato calido, dein decocto si: melil. & chamom. Illa quoque semper observari *encheiresis*, ut nova funiculi portio, intra vulnus promovenda, prius conveniente perungatur l. balsamo, l. unguento, dehinc vero digitis utriusque manus arrepta bina funiculi extremitas placide & in linea recta extendi & protrahi versus oppositum latus, extremitas vero pure defœdata, forcice rescindi, & postea reliquus apponi apparatus, ut in §. 6.; Ægrotus inter hæc collum nonnihil alternatim inclinare versus latera setacei, ut pus effluat facilius per declivem viam.

§. VIII.

Tertia post operationem setacei *die* funiculus illinitur *ungto* mundificativo *de apio*, ad detergendum vulnus & suppurationem promovendam. *Quarto die* funiculus saltem circa vulnerum orificia mane purgatur s. abstergitur suspensa manu, non movetur, vesperi vero aliquot filamenta funiculi plane demuntur, ut tenuior evadat, atque sic nova ejus pars delibuta per vulnus protrahitur dicto modo. [§. 7.] Imminutione hac filamentorum funiculi quotidie pergendum est, donec nonnisi triginta l. viginti aliquot remaneant. Post *sextum septimumve diem* ordinario conquiescunt molesta, doloris, tensionis, inflammationis &c. symptomata, suppuratione jam laudabili,



dabili, plus minus copiosa, inducta, qualis tunc etiam præbet cynosu-ram frequentioris l. rarioris deligationis, quæ tamen ordinario bis in die ultimo semel tantum repeti debet. Si quando sub manatione fetæci hujus purulenta glandulæ colli, vel & alarum intumescant, nihil mali portendunt; modo & ipsæ frictionibus calidis subinde discuti, nimius vero ad eas affluxus repetitis purgationibus averti ac infringi tententur. Ceterum, si rite procedat suppuration, nihil opus est purgantibus, ceu quæ præcociter illam interciperent.

§. IX.

Consopitis ita gravioribus molestiis & laudabili obtenta suppuratione paulo plenior victus ægro, haustus vini modicus ad partum, nisi alia contraindicent, deambulatio in hypocausto concedi possunt: minime vero profectio peregre, vectio, equitatio: Qualia nimirum intempestiva corporis exercitia insigne damnum & periculum ægris afferre docuit experientia. Ulceris hujus artificialis fundus, atque, si quos fosse excavavit sinus, probe detergantur & elutriantur factis blandis *injectionibus* vulnerariis, quoties videbitur opus, digitisque exprimuntur placide. Si nulla supersit partis affectæ inflammatio, sufficit, loco splenii oleo rosato imbuti, *empl:* diachyl: c. gummat. aliudve simpliciter contentivum imponere.

Si *funiculi*, primitus appliciti, munda *extremitas* denique *deficiat*, neque tamen suppurationi adhuc finem imponere velimus, illi ipsi extremitati primi funiculi adsuitur, affigiturve novus funiculus, sed minore filamentorum numero constans, sicque una cum reliquiis primi funiculi attrahitur intra ulcus hoc artificiale: vel & penitus hoc ipsum extrahitur quod reliquum est prioris funiculi, novusque ingeritur mediante specillo, tenui, in extremitate posteriore fissio, ac fenestrato, uti solent acus.

§. X.

Quamprimum ulcus fundit *laudabile pus*, sufficit illud unguento digestivo solemniter imbuere, si vero sanguineum *sedumque* eructet pus, repetere deterfiva decet unguenta. Patulum ergo & in suppuratione *servatur* hoc ulcus, quamdiu requirit affectus, cujus gratia procuratum fuit, itaque per septimanas, imo integros pluresque menses, donec sponte exsiccat. Unde sive desinat sponte suppuration, sive *finem* illi studio velimus *imponere*, nullo opus est alio artificio, nisi ut quantitatem filamentorum funiculi magis magisque imminuamus, ægrum aliquoties *κατω* fortiusque purgemus, totum denique funiculum extrahamus & aliquoties solutionem lapid. divini, quem *Yvesius* describit, [b] aut lapidis medicamentosi Crollii syringa injiciamus, ac denique patulis vulnerum orificiis emplastr. diapalmæ imponamus.

§. XI.

[b] St. Yves Trait. des maladies des yeux. p. 198.



§. XI.

Paucis jam delibabimus insignes *setacei nuchæ fructus*. Quamvis enim *Blancardus*, *Dionis*, *Gareugeot*, aliique setaceum prorsus rejiciant, tanquam ineptum invalidumque remedium, tot alii tamen plurimique magni nominis medici, atque chirurgi e. gr. *Fabricius* ab *Aquapendente* & *Hildanus*, *Fienus*, *Glandorpius*, *Bartischius*, *Riverius*, *Severinus*, *G. W. Wedelius*, *Scultetus*, & nostræ olim Universitatis ornamenta *Elias Rudolph. Camerarius*, *Mezgerus*, celeberr. noster *Heisterus*, &c. &c. imo experientia, mille testes, eximium plane setacei usum docent, evincunt, con- firmant luculentissime.

Quid *revellendi ac evacuandi sine* valeat *setaceum*, illi non modo gravissimi affectus, *apoplexia*, *epilepsia*, *affectus soporosi*, *vertigo*; *oblivio*, *cephalæa* pertinacissima, *ophthalmia* habitualis, *chronica*, *epiphora*, *cataracta*, *gutta serena*, *ulcuscula corneæ* &c. setaceo curati atque percurati testantur; sed illi maxime casus comprobant, quando morbifici affectus sublati manent, manante setaceo, hoc autem exsiccato statim recrudescunt, sicuti *Ruyfchius*, *Paræus* &c. [i] exempla habent *cephalææ* a setaceo cessantis, eodem-remoto recidivantis, idque aliquoties, it. cœcitatæ setaceo curatæ, hoc sublato redeuntis, atque denuo sublatae per repetitum setaceum. Unde *setaceum* non modo in *oculorum inflammationibus* sacram esse *anchoram*, [k] sed in tot aliis etiam gravissimis affectibus *oculariis* sacram esse *palladium* vere asserimus. Et quotus quisque dubitaret, quæso, qui validam & revulsionem hic fieri, & evacuationem longam atque liberalem fieri ichorosi visceri, acris, &c. perpenderit? Qui attenderit porro ad ejusmodi sponte passim in corporis peripheria excitata emunctoria, quid eorum libera manatio, quid suppressio importent? Sed nolumus soli facem accendere porro.

§. XII.

Pergimus igitur ad *auricularum setacea*. Talia *quanti fecerit* non saltem in gravissimis & rebellibus oculi fluxionibus, sed aliis quoque dentium, pectoris, articularum, &c. sagacissimus atque expertissimus *Riverius*, ex ejus patet operibus. (l) Commendatissima pariter fuere celeberr. *Woolhou- sio* ad varios oculorum affectus, unde, præurfores hosce secutus *Præses* in

[i] Ruyfchii Observat. anat. & chir. 40.

Ambros. Paræus Oper. Chirurg. L. 9. C. 24. p. 302.

[k] Quæ phrasîs est doctiss. Medicor. Uratislaviens. in Hist. morb. Uratislav. p. 69.

[l] Laz. River. Cent. 4. obs. 100. ad surditatem quoque cum Paracelso commen- dat.

M. A. Severinus de efficac. Medicina p. 73.



in sua praxi ophthalmiatica felicissime vestigia illorum preffit. & antiquas, rebellesque oculorum fluxiones, ophthalmias varias, ulcera & maculas corneæ &c. aliis selectissimis remediis invicta mala, successu expugnavit exoptatissimo, medicisque in patria nostra prævit hanc, quam nunc feliciter non minus ac frequenter terunt alii.

§. XIII.

His vero instrumentis hocque modo fetaceum per lobos f. partem inferiorem pendulam, auricularum transfigitur. Scil. *acus* modica, maxima sui diametro, qua plana est, sesquilineam haud superans, chalybea, anterieus anceps, formæ lanceolaris, aliquantum incurvata, exquisite pungens scindensque, in postico vero extremo cava, in duo l. tria segmenta ibi patula, instar acus lardariæ, qua utuntur in culinis. Duo *tenacula* auricularia, quorum trunci in brachia desinentes per fibulam mobilem ad inferiora depressam arcte possunt adduci, hisque brachiis conclusus auriculæ lobus valide comprehendi, per excavatum vero in brachiis semicirculare foramen & transfigi acus, atque post perforationem factam extrahi, & ipsum fetaceum, e funiculo aut radice constans, per transversum trahi, atque sic immisum, relinqui. [m]

Binis hisce instrumentis efficitur non modo, ut *citius*, sed & *facilius* per doloris compendium *absolvatur operatio*. Acuta enim & probe scindens, ac in apice latior existens, quam in suo capite, *acus* cito ac facile trajicit per auriculam, vulnusque infligit fatis amplum, pro traducendo fetaceo: *Tenaculum* vero sensum auriculæ obtundit aliquatenus, lobulum ejus in perforatione stabilit, locumque perforandum exacte determinat.

§. XIV.

Pro ipso fetaceo auriculæ Præfidi in usu maxime est *radix esule* [n] tenella, cortice f. involvente membrana, cui præcipua vis inexcitans & rubefaciens, adhuc obtecta, sive recens effossa, sive decenter exsiccata & asservata, tres quatuorve pollices longa. Aliquando etiam adhibuit corticem mezerei in cylindrum convolutum, ubi valida opus erat attractione. Alias quoque potest in usum duci funiculus c. 6. l. 10. filamentis xylinis contortis, & uncto de apio, item digestivo, per mercur. præcip. tantillum acuato, perfrictis.

Locis

[m] L. Heisterus & instrumenta hæc scitissime delineari curavit, & operationem perforandi lobos auricularum nervose, licet paucis, descripsit in Chir. nov. l. atin. L. 2. S. 2. C. 70. p. 695. seq.

[n] Efulam intelligimus illam, quæ pityusa, a foliis pini, nostraque vocatur vernacula: *Efels-Milch*, *Wolffs-Milch*.

Locus electionis est lobus auriculæ, duas fere tresve lineas mathematicas supra ejus limbum infimum; Præstat vero semper paulo altiore loco, quam inferiore, lobum hunc pretundere, quoniam alias foramen ejus pedetentim descendens diffindit denique oram lobuli, sicque lapsum efficit setacei, vel posthac inauris applicationem impedit.

§. XV.

Operatio sic perficitur: insinuatur radice esulæ extremitas superior crassiorque in capituli acus cavitationem: Tenaculum lobo auriculæ affigitur debite, quemadmodum mox superiore paragrapho docuimus; acus per semicirculare foramen tenaculi & totam lobuli auriculæ substantiam uno ictu valide ac celeriter transfigitur, & foramine opposito sic extrahitur, ut setaceum inhærens capitulo acus, in sua extremitate, qua prospicit extra cavum acus, digitis detentum, (ne una cum acu penitus extrahatur) remaneat intra recens hoc vulnusculum. Solvitur dehinc ipsum quoque tenaculum. Sanguis pauca quantitate solitus stillare sibi permittitur, sponte intra horæ quadrantem, l. paulo ultra, constitutus. Grumuli vero, adhærescentes setaceo vulnereque orificiis, specillo, volsella, spongiolaque madida facile detrahuntur l. absterguntur.

Extrema radicle, pro setaceo immisæ, ad inferiora adducuntur, floque colliguntur, ut ne in transversum extensa hic ibi in capitis motu, & decumbentibus ægris ad pulvinaria molestissime allidant. Si vero funiculus longior fuerit transmissus, simili proceditur modo, quoad extremitatem ejus longiorem post auriculam detinendam atque defigendam, ut supra §. 7. tradidimus.

Aliquando etiam sine tenaculo auriculari perforatio æque facile perficitur, vices tenaculi gerentibus sinistrae manus digitis, pollice ac indice. Apparatus ad punctionem præliminaris per tenacula haud raro deterret non infantes modo, puerosque formidulosos, sed & personas adultiores delicatulas, præsertim cum ex altera jam perforata auricula, quid doloris perferendi superfit in altera pariter pertundenda, recenti teneant anxique memoria. Dolor qui ex hac resultat perforatione satis quidem acutus, sed & brevi transitorius est.

§. XVI.

Adaptatum itaque setaceum quiete relinquitur suo loco, & posthac non nisi singulis duodecim horis hinc inde motitur lente, & quantum fieri potest molliter. Sequitur post operationem intra paucas horas ordinario tumor atque rubor tenivus lobi auriculæ per aliquot dies aliquando perdurans, donec suppuratio debite sit inducta. Accidit hoc incommodum multo facilius, quando non satis amplum auriculæ vulnus inflictum est, & abs radice l. funiculo, trajectis, maxime si illa exsiccata, hic vero arcte

Tom. II.

K k

contor.



contortus ante applicationem fuerint, jam intra vulnusculum intumescen-
tibus, nimium obturatur, atque premitur, quo casu *tenuior* quædam
priori *radicula* est *substituenda*; aut tenuis primum funiculus uncto diges-
tivo delibutus, deinceps vero demum *radicula* est immittenda: Insuper quo-
que *fomenta*, facculi, cataplasmata e *discutientibus* & emollientibus sunt
imponenda. Retulit Præfidi *Woolhousius* in Lusitania tale setaceum auricu-
lare, e rad. esulæ, gravem intulisse tumorem phlegmonodem auriculæ,
partiumque vicinarum, in gangrænam & fatales capitis spasmos termina-
tam.

Tantas quidem turbas, quales in calido climate illo, subjectis calidi-
oribus & ab ipsa ibidem fervidiore proculdubio esulæ *radicula* potius ex-
pectare oportet, nunquam observavit Præses nec in Galliis nec Germa-
nia, ab hoc setaceo l. centies, & felicissime semper, tentato, sed fre-
quenter tamen expertus est inde ruborem, tumorem, *doloremque* ten-
sivum atque pulsatorium, per aliquot dies satis molestum, imo tunc *ma-
xime acerbum*, quoties *radicula* vel funiculus per lobulum ultro citroque *tra-
heretur*. Plus semel quoque brevi *submatum* vidit infra lobum auriculæ:
l. ejusdem latus anticum *notabilem abscessum*, qui diu copiosum fudit pus,
saluberrimo cum eventu; e. gr. in puero quodam duodecenni, ab incu-
nabilis conflante cum perpetua fere ophthalmia adnata ac cornæ hu-
jusque nubeculis & excoriationibus, per setaceum auriculare vero & su-
pervenientem abscessum talem post sesquimestre spatium ita liberato, ut
postmodum oculis usus sit integerrimis salvisque, non quidem neglectis tum,
quæ porro huc spectabant remediis tam internis quam externis, sed qua-
lia ante setacei usum, nec sufficientem, nec constantem longo annorum
decursu, tulerant opem. Qualis debeat esse hujus abscessus, s. parotidis
tractatio chirurgica aliunde hauriendum benev: lectori relinquimus, ob
brevitatis studium, solo hoc *addito monito*, ut quamdiu fieri potest, abs-
cessum in manatione servet foveatque chirurgus.

§. XVII.

Setaceum hoc auriculare, altero statim, tertiove post operationem die,
uncto digestivo lubricatur illa sui parte, quæ intra vulnusculum sub quavis
deligatione recens est ducenda, ut sic & facilius transeat, & suppuratio
conservetur magis. Cum *sordes puris* crustosæ affigi soleant & setaceo tra-
jecto, & utrique orificio vulneris, abradere has oportet & abstergere sus-
pensâ manu prius, quam ipsum hinc inde trahatur setaceum nisi quidem,
ob lentam parciolemque suppurationem rudius pertrahere setaceum, e con-
silio videatur, ut, facta irritatione, vulnusculi frictione ac cruentatione,
nova & copiosior puris genesis cieatur.

Scopo hoc *revocandi* aut *intendendi suppurationem* potest etiam inungi seta-
ceum vel *uncto de apio* l. *fusco Würzii*, l. *digestivo* cum refracta dosi
mercurii

mercurii præcipitati rubri aut ægyptiaci ungti. Radicula, pro setaceo adhibita, singulis minimum 14. diebus *innovari*, novaque substitui debet, quoniam longiore usu viribus defciscit. E lobo auriculæ igitur extractæ veteri facile succenturiatur nova radiculâ, & nullo chirurgi negotio, per orificia ulcusculi jam patentioris & lubrici trahitur, dummodo proportionatam ulcusculo obtineat crassitiem, & extremitate sua tenuiore primo subeat ulcusculum.

§. XVIII.

Setaceum hoc auriculare in manatione hac purulenta *tandiu servatur*, quamdiu ad tollendum oculi affectum requiritur, itaque per plures aliquando, menses constanter est gestandum; tandem vero, si jam claudere rivulum deceat, facile consolidatur ulcusculum pro lubitu & intentione chirurgi atque ægri, prout scilicet vel penitus ocludere foramem & carne liberit replere, l. patulum servare, ut in posterum inauris gestari queat, aut in novos futuri setacei usus, si quando fuerit necesse.

Priore scopo magis tenuior inditur radiculâ l. setaceum, & denique extrahitur: Hiatus, qui in lobulo superest, uncto digestivo & bals: Arcæi l. guttula balsami peruviani repletur, empl: diapalmæ circumponitur, sicque coalescet & obturabitur omnis cavitas.

Posteriore casu, injicitur, loco setacei, filum plumbeum, l. aureum, & subinde leniter commovetur, donec limbi ac parietes foraminis cuticula sint obducti, atque sic in posterum, tale filum, inauris jugiter gestatur.

§. XIX.

Setaceum denique *ocularium* succincte describemus: Orientalibus, Japonibus, Sinensibus duo maxime sanitatis præsidia frequentissime in usu esse, acupuncturam atque moxiburium, e celeberr. medicorum, *Bontii*, *Cleyeri*, *Rhynii* atque *Kempferi* maxime patet monumentis. Acuta subtilissimaque acy petit audax illa gens varias corporis affectas partes, etiam profundas, e. g. intestina, uterum gravidum, omnesque partes, e quibus originem trahere morbus ipsis videtur, suis quidem variis haud ommissis cautelis, adeoque in ipsâ suffusione bulbum oculi perforat, eo tamen modo, nec sine, qui ad cataractas deponendas nobis sunt usuales, sed totum oculi bulbum transversim perfodit, setaceumque injicit, ea intentione & prætextu, ut oculi humores e stagnatione impuri atque opaci redditi expurgentur atque serenentur, sicque visus hebetudo, obnubilatio, imminensque cæcitas corrigantur, tollanturque. Operatio hæc paucissimis in Europa non dicam consueta, sed ne cognita quidem est: [o] Illam

K k 2 ergo

[o] Woolhousius mentionem ejus in catalogo impresso. quadraginta operation, chi.



ergo primum describemus, quibus mediis, ubi & quomodo fiat? deinde quibus se commendet usibus, quibusque subsit difficultatibus ac objectionibus, candide trademus.

§. XX.

Perforationi bulbi destinatur *acus* recta, anceps, in cuspidem acutam desinens, plana, latitudinem habens unius circiter lineæ mathematicæ, crassitiem quantum licet tenuissimam, [p] longitudinem vero trium, ad summum quatuor pollicum, & caput perpendiculari oblongo foramine fissum, quod filamenta setacei recipiat, una cum acu per oculi bulbum trajicienda. *Setaceum* construitur ex aliquot filis xylinis purissimis ac subtilissimis, triplicibus l. quadruplicibus, tres, quatuorve spithamas longis, in funiculum obiter contortis. *Funiculum* hunc, antequam oculo ingeratur, orientales illi prius *imbuunt* liquore quodam vulnerario e betonica, juxta nonnullorum opinionem, parato, *Woolhousius* ipsum *imprægnat* liquore albuminis recentis probe agitati.

§. XXI.

Ante hanc oculi perforationem, non minus prudentem, quam ad setacea nuchæ & auricularum commendavimus supra, præparationem requiri per venæsectionem, purgationes, temperantia, diluentia, antispasmodica, diætamque tenuem, eupeptamque, satis superque dispalescit sponte. *Sanus ægri oculus* splenis fasciaque firmiter vincitur, qualis scil. & statim & jugiter post operationem vincitus manere debet.

Ipsa operatio hoc absolvitur modo: recipit ægri caput reclinatum inter sua genua operator, illud firmiter sic tenet, majoris tamen præcautionis ergo & caput, & humeros ægri per ministros contineri jubet. *Aut in sedili collocatur* patiens, eo, qui in cataractæ depositione solet, modo, id quod tam ægro, quam operatori commodius fore reputamus. *Ægri palpebræ* alterius manus digitis, ab operatore diducuntur, l. abs ministro elevata tenetur palpebra superior per *hamulum oculi suspensorium* vel & *speculo* oculi apertæ fervantur & bulbus stabilitur. *Acus* inter brachia acutenaculi circa ejusdem caput fortissime ac firmissime intercepta transfigitur uno

rurg, quas in oculo administrat, hanc facit, nro XXIX.: Le seton ophthalmique fait à travers le globe de l'œil, pour la guérison de l'hydrophthalmie, de la cataracte, du glaucome naissant, & de plusieurs autres maux fâcheux de l'organe de l'œil. Videantur ejus Dissertations critiques & savantes.

[p] Ut scil: inter uveam & crystallinum pede inoffenso facilius transeat, citra illarum partium intempestivam læsionem. Auri metallum, e quo orientales acum parant, ferro videtur ineptius; illius enim mollities virtuti acute scindendi obstat, nisi quidem & nostrates ita noverint aurum indurare, sicut orientales illi artifices,

uno ictu, fufpenfa tamen manu, per omnes oculi bulbum hoc latere involventes tunicas, in cantho externo [q], in diftantia à circulo corneæ externo unius lineæ mathematicæ, paulo infra mediam bulbi axem, eo fere loco, quem nuper in difp. de empyefi p. 15. & 16. præcepit præfes.

Sentiet tunc ftatim operator, à refiftentiæ defectu, quod acu jam penetraverit in globi cavum, cameramque oculi, quæ vocatur, pofteriorem; *acum* vero tam inter hoc oculi fpacium internum blande ac fucceffive *profert* tranfverfum & proxime ad uveæ latera, donec apice acus ad tergum pupillæ promotum, ac introfpicienti manifeftrato, ipfam *acum ultra promoveat ad latus factæ jam punctiõnis oppofitum & internum*, atque *eafdem oculi tunicas jam perfodiat* ab intus ad extra, quas primum ab extus ad intra pupugerat, *acum* vero tranfigat quoufque per appenfum acutenaculum licet; hocque tum dempto, *acum*, l. digitis, l. forcipe quadam, in cantho interno totam fimul cum portione adhærentis fetacei extrahat & *acum à fetaceo folvat*, folumque jam intra oculum relinquat.

§. XXII.

Mox ab operatione, claufis palpebris, ex angulo interno per harum interftitium propendens *altera fetacei extremitas* in angulo, qui nafum ac palpebras intercedit; pollicis longitudine propendens reconditur, *altera* vero fetacei, eaque longior *extremitas* in cantho externo prominens, convoluta, & mundo circumvoluta linteo fuper regione temporali emplafthro quodam adglutinatur, vel alio modo firmatur. *Defenfvum* ordinario epithema, ex album: ovi in fpumam conquaffato, aluminofa, fuper indigeftum goffypii globum extenfo, dehinc *fplenium* quadruplex, denique fafcia molliter applicantur.

Sex, octove poft operationem horis, *foluto hoc apparatu primo*, dataque tunc opera, ne *fetacei extrema* per palpebrarum interftitium propendens arripiantur, & *protrahantur incaute*, non fiventur modo ac *lavantur palpebra ac bulbus oculi* per horæ quadrantem, infufa hbæ *hyffopi* ex aqua calido, idque interdium ac quotidie tribus quatuorve vicibus, fed & *facculi* ex hb. *hyffopi*, *ferpilli*, fl. *famb.* *melil.* *sem.* *foenic.* &c. in vino cocti, iterumque exprefsi calidi diligenter apponuntur.

Secundo tertiove ab operatione die *trahitur* modeste *mane* ac *vesperi* tenuis fetacei *funiculus*, liquore albuminis (§. 19.) vel & denique *balf.* *Arcæi* imbutus, per bulbi tranfverfum atque immunda illius portio refecatur, ceteraque obfervantur, quæ in fuperioribus §. 15. ad reliqua ejuſmodi commendavimus fetacea.

§. XXIII.

[q] Punctiõni in cantho interno incipiendæ obftat fpacii inter oculum atque nafum anguftia. Nec extremitati longiori fetacei locandæ infervit apte fatis canthus major, f. internus, ob loci e fetaceo humiditatem.



§. XXIII.

Relinquitur setaceum duas tresve, ad summum quatuor septimanas, intra quod tempus efficaciam, quæ speratur præstare, l. parum ultra poterit efficere. *Toto gestandi hujus setacei tempore*, quamvis gravia non ingruant symptomata, nihilominus exquisitam dietam multo attentius, quam supra §. 6. inculcavimus; oportet observare, oculum utrumque apertum servare, parum luminis nec diu ad oculum afflictum admittere, quando religatur ac lavatur. *Alvus libera* servetur, decoctum pro potu, juxta frequentes theæ, aut alius apozematis sorbillationes calidas paretur, ut supra retulimus §mo sexto. *Woolhousius* sub toto hujus setacei fluxu pro potu bibendam imperat aquam e lacte ac melissa destillatam. *Internis* inhærendum quoque est medicamentis, tam quæ primarium oculi affectum, qui setaceum poposcit, quam quæ ipsum setaceum, ejusque confectaria & symptomata respiciant. Imprimis vero huc spectat, scopo valide resolvendi ac aperiendi varias humorum oculi, vasculorumque internorum inspissationes ac obstructions aqua, quam celebris ophthalmiater *Turberville* destillandam, & mane vesperique hauriendam aliquot unciam dosi, præcepit e lactis vacini libr. 3. Hb. meliss. exsiccatæ & millep. vivor ana libr. 1. Aut, si millepedes vivi nequeant haberi, carnis viperar. lib. 1.

§. XXIV.

Si post operationem setacei gravis inflammatio conjunctivam invaserit, doloremque ardentem, pungitivum intulerit, illa, quæ toties alibi commendata in proxime habitis dissertationibus oculariis, revulsoria ac evacuatoria adhibenda sunt remedia: e. gr. venæsectio in pede, collo, vesicatorium in nucha, cucurbitulæ scarificatæ in dorso, humerisque, unius alteriusque vasculi sanguinei in conjunctiva turgescens sectio, setacea auricularum, unguentum alabastrinum pro frontali.

Tandem si artificiale hoc emunctorium oculi claudere oporteat, imbuitur setaceum leviter aliquot antea diebus unguento de tutia impalpabili, dehinc oculo plane extrahitur, orificiis bulbi e setaceo patulis illinitur quotidie bis idem de tutia unguentum, polline gummi arabici remixtum, palpebris imponitur, e consilio *Woolhousii*, empl. gryseum: alvus aliquoties blande subducitur; oculo, l. palpebris imponuntur, illinuntur, roborantia discutientibus, nervinis remixta.

§. XXV.

Quamvis autem ex hæcenus dictis abunde pateat, emunctorio hoc artifi-



tifficiali successive humores vitiosos, crassos, viscidos, acres, impuros, sanguinem extravasatum, pus, nimiam humoris aquei quantitatem evacuari, vascula sanguinem choroideæ, uveæ, retinae infarcta & obstructa depleri, tunicam arachnoideam vitreamque abstergi, immo nervos ipsos oculi, opticum præcipue, ab infarctu, pressione, tensione liberari, sicque tale setaceum oculi optime quadrare ad *hydrophthalmiam*, *emphysem*, *principia cataractæ*, *glaucomatis*, *crystallini ac vitrei turgescientiam*, *guttam serenam* &c. Tamen & temerarium & irritum fortasse nonnullis videbitur hoc remedii genus, cum grave sic vulnus penetrans, & totum trajiciens oculum infligatur, spina quasi infixæ, setaceum puta, jugiter inhæreat, stimulum gravem constituat, affluxum augeat, crystallinum atterat, uveam lacestat, abscessum & periculosam suppurationem intus minuetur, perpetuisque summis doloribus ægrum ad incitæ redigat, ac hiantem corvum turpiter denique deludat.

Verum temeritatis notam diluunt operationes hypopyi, empyesis, cataractæ, diacopes &c. felici successu toties institutæ, quin abstergit, deletque plane, falsa hujus quoque setacei experientia. Irritationem, levem stimulum, aliqualem frictionem pro fine hic nobis proponimus, ne vero in gradum evehantur nimium, sollicitè cavemus. Impura, quæ ante cavo oculi inhæserunt, & quæ demum collecto delitescunt, everimus setaceo. Dolores sedat pro viribus ophthalmiater, quos hic mitigare nequit, patienter ferre discat ægrotus, nec ipse infundat oleum igni.

T A N T U M.





DIS.



XLIII.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,

DE

AMAUROSI.

Quam tuebatur

JO. BENED. GODOF. OEHME

SERVESTA-ANHALT.

Lipsiæ 22 Novembris ann. 1748.

Tom. 11.

L1

